

Q.K.364.8.



DE
VANITATE HISTORIAE
IVDICE AGRIPPA
COMMENTATIO

QVA
AVDITORIS SVI
BONAE FRVGI STVDIISQVE AC DOCTRINIS
DEDITISSIMI
IOANNIS IACOBI SCHILLINGII
NVMBVRGENSIS
ORATIONEM VALEDICTORIAM
CRAS
SVB HORAM II. POMERIDIANAM
HABENDAM
ADIVNCTA INVITATIONE PERHONORIFICA

INDICIT

M. DANIEL PEVCERVVS
LVSATVS
SCHOL. SENATOR. RECTOR

NVMBVRGI
LITTERIS BOSSOEGELIANIS

cic 1900 XXXIV





§ I.

Disputatum saepius fuit, quo tempore cum doctis declamatio H. C. A GRIPPAE de uanitate atque incertitudine, quam uocat, scientiarum communicata sit: nam intellexerunt docti, mentionem temporis in exemplaribus occurrere adiectam plane nullam. Reperiſſe autem me, praeter spem, bina uideor loca, ex quibus satis dilucide colligi posse, arbitror, uirum doctissimum illam declamationem, quo anno imperatori, augustissimo CAROLO V. augustana est confesio publice oblata, scilicet 1515 XXX, foras dedisse. Meminit enim, litteris* ad amicum quemdam, Mechlinia, mense decembris eiurdem anni datis, huius sui libri, petitque ab eo, ut innumerous typographi errores excusat.

* Est haec epistola libri VI. octaua, p. m. 946. Confer, si libet, ep. XI. subſequentem p. 949, qua rogat ut familiaris mittat defectum ex libro de uanitate scientiarum, si quidem cum excusoriam transegiffet. Nisi fallor, mihi suffraga-

tur celeb. REIMMANNVS instit. hist. litt. germanorum nouae tom. IIII. p. 69. Qui quidem alio loco hunc librum, A GRIPPAE cantionem cygneam, non immutato, adpeilit, scilicet tom. III. lib. II. fest. III. p. 217.

§. II.

In hac autem declamatione, quam paucis ante diebus examinare quodam modo coepimus, A GRIPPA uanitatem atque incertitudinem historiae, euidenter, ut sibi uidetur, demonstratus, prouocat ad historicorum dissencionem, quam quidem elicit non solum ex eorum ignoratione initii mundi, uerum etiam eluuiionis uniuersalis, item originis urbis Romae; de quibus rebus historicus ab historico mirum quantum dissentiret. Quod si dicendum, quod res est, quaedam inter hos homines dissensio non potest non admitt-

mitti; sed talis, quae, salua ueritate historica, adtentio-
nem legentium plus plusque exacuit, eosdemque a par-
tium studio efficaciter abstrahit. Causae uero dissenso-
nis sunt, uel in historicis*, uel in ipsis, quas narrant, re-
bus, positae. Si enim iudicium atque industria non ad-
hibuerint, uel affectuum perturbatione abripiantur, ra-
tiones rei necesariae, sine ullo dubio, aut negliguntur, aut
studio detorquentur. Sin autem, ob nimiam temporis di-
stantiam, clarioribus carent fontibus, tabulas atque rela-
tiones designo fide dignas, turbidosque inconsiderate se-
quuntur riuulos: nemo miretur, quare tot tamque puti-
dae exoriantur historicorum dissensoes **.

* Agrippa noster adprobatione digna
pronuntiauit p. 23, quibus, quoniā
commode hoc referenda sunt, locum
hic dare nullus dubito. Nam plerique,
inquit, historici, eo quod narratorum
temporibus, locis, personis, gestis non
adfuerant, ex aliorum relatu populares
sermones colligentes, nihil certum, ni-

bil constans scribunt: quo uitio a STRA-
BONE taxantur ERATOSTHENES,
METRODORVS scepsus, POSSIDO-
NIVS et PATROCLES geographus.

** In eamdem sententiam plura doce
exponit CEL. uir MART. SCHMEI-
TZELIVS in praecognitis hist. ciuilis
cap. I. art. VI. §. III. p. 41.

S. III.

Exempla non deesse posunt in tanta historicorum dif-
fidentium a se secumque discordantium frequentia. Au-
diamus, non sine summa delectatione, quae illa de re egre-
gie dixit illustris in republica litteraria olim uir, IO. BVRCH.
MENCKENIVS, eo loco*, quo historicorum circumforane-
am acute perstrinxit uanitatem. „HERODIANVS, inquit,
„Alexandrum Mainmaeae filium accusat, quem laudant
„LAMPRIDIUS aliisque. Iuliani uirtutes commendant AM-
„MIANVS MARCELLINVS et MONTANVS, cuius uitia per-
„stringunt alii. DIO facta Bruti et Casii damnat; probat
„contra PLVTARCHVS. PATERCVLVS Seianum extollit, ple-
„risque aliis exosum. CLAVDIANVS Ruffinum pro-
„scindit, Arcadii praeceptorem, quem ZOSIMVS, ZO-

X 2

NA

„NARAS; EVTROPIVS et PAVLLVS OROSIVS summis
„laudibus adficiunt.

* Factum hoc est declamatione altera de
charlataneria eruditorum, que ab ipso
A. c. 1300 xv. d. xiii. februarii, in
publica magistrorum panegyri recitata
cum aplausu est. p. 129, ed. amstelod.

S. III.

Quoquo autem modo se res habet, multum omnino dif-
fert inter ea, quae perpetuo propria rei sunt, atque ad
eius naturam uere pertinent, et inter ea, quae usu uenire
illi extrinsecus solent, et apud auctorem tantum hunc et
illum, casu atque fortuito, inueniuntur. Verum est, dissi-
dium reperiri aliquod, sed nec perpetuum, nec apud omnes
historicos, nec in omnibus historiae partibus: id quod con-
spectus ipse nos luculenter perdocet. In capite rei plerique
omnes historici congruunt et quasi concinunt; in rebus
autem exilibus ac leuioris momenti, in operis subsecuiis,
quae rei gestae ipfi nihil officiunt, scriptores non num-
quam discedunt in alia, forte sibi contraria.

S. V.

Num enim putas . disidere inter se historicos , si enar-
randa est uoluptas SARDANAPALI et animi effeminatio ;
aut uirilis SEMIRAMIDIS animus, atque admiranda horto-
rum pensilium moles. Credisne , XERXIS , persarum regis,
expeditionem aduersus graecos multifariam , quod ad rein
ipsam adtinet, memoriae esse proditam ; aut DARII CODO-
MANNI miserandam cladem , pugnantibus inter se casibus ,
esse propositam. Putasne, graecae conditoris monarchiae
ALEXANDRI M. stupendam fere felicitatem , qua usus est ad-
uersus persas , indos etiam; et post huius lamentabilem
occasum , multiplices ducum eius et veteranorum ausus at-
que concertationes negari ab omnibus aut infirmari. Sta-
tuisne, IVLII CAESARIS magnos spiritus et populi oppresio-
nem, CICERONIS in patriam amorem summum , CATILINAE fu-
ribun-

ribundam audaciam, AVGUSTI humanissimam lenitatem, NERONIS crudelitatem in christianos homines esse aut ab omnibus, aut a plerisque modo negata? Iam si ea tibi haeresis non est: quaeſo TE, qui amas bonam mentem, uisne, quia disſenſus nonnullus deprehenditur apud rerum gestarum scriptores, omnem illis fidem denegare, atque uanitatem eisdem temere adtribuere?

§. VI.

Sed uenio ad grauiſſimam omnium AGRIPPAE infimulationum, uel potius calumniarum, *historicōs scilicet esse omnium mendacissimos.* Quam rem dum respicio, ego sic existimo, AGRIPPAM nostrum, aut nesciuſe, quid sit mendacium, aut ex schola PTRRHONIS esse, atque *scepticismū* primum inter germanos introducere uoluſe. Quid enim est mendacium, niſi falſum morale, ſive ſermo menti repugnans, cum danno alterius coniunctus: contra, quid est scepticismus, niſi constans, temeraria atque ab ratione aliena iudicij suspensio? Quorum alterum ſicut historicis minime conuenit; ſic e contrario iure omni alterum AGRIPPAE adtribuitur.

§. VII.

Quum enim eius argumenta, quibus adſtruere conatur ſententiam ſuam, adcurate perpendimus: re uera probatae demonstrationis uel parum, uel plane nihil; sophismatum autem fatis multum nos offendere intelligimus. Sufficiuntne enim haec ad mendacia, ſive, ut mitiſſime ſententiam hominis exprimamus, ad fallaciam ac fraudes historicorum comprobandas, ſi cum AGRIPPA dixerō: mendaces ſunt historici ad unum omnes, quoniam *nonnulli*, ad delectandos alios, quaedam adſinxerunt, ueritatē aliquando in fabulas conuerterunt, ignotas terras deſcribendas ſumſere, ex

amore aliis adulati sunt, ex metu et odio complura forte reticuerunt, principum fuerunt historici, ad externas origines recurrerunt, immo fabulas, si res grauissimae fuerunt commemorandae, adulterunt, summos principes exprefserunt, non quales extiterunt; sed quales esse debebant; neque etiam publica auctoritate calatum sumserunt. Certe, nisi haec et alia generis eiusdem limam logicorum intendunt, quid eam intendat, me ignorare, publice profiteor.

§. VIII.

Suntne enim omnes ac singuli IOANNIS VITERBIENSIS similes, qui BEROSSI chaldaei antiquitates improbo ausu supposuit? Videmusne plena omnia RVXNERORVM, qui, ut quasdam generosorum familias extollere posset, nescio, qua codicis magdeburgici fide, dicta impudenter confirmare atque stabilire ausus est? Improbat etiam ANTONII VARILLASII, gallici hominis audaciam supra laudatum lipsiensis academiae *lumen*, IO. B. MENCKENIVS, qui, ut loquitur loco adlegato, *quoties genio induxit, spissa manuscriptorum nube se est tuitus*. Noui quidem, ut ueteres silentio praetermittam, credulum LAVRENTIVM SVRIVM, qui IO. SLEIDANI egregium opus, *de statu religionis et reipublicae*, sub CAROLO V. confutare adnusus est; noui LVDOVICVM MAIMBOVRGIVM, qui *historiam lutheranismi* confecit tam similem ueritati, quam sunt noctis umbrae soli tum, quum splendet maxime. Sed hi erunt fere, qui ex amore erga suos, odio in sequentes aliena sacra, cum sociis nihil non carpunt, quod superstiosum non est. Neque tamen non religioni mihi duixerim adfirmare, quos nominaui homines, nullo umquam tempore ueri quidquam scripsisse: uereor enim, ne ipsa ueritas etiam ab hoste prolata, et in eodem, pro eo quidem, ac decet, laudanda manifeste reclamitet.

§. VIII.

§. VIII.

Praeclare igitur fecit IAC. PERIZONIUS, celebris batavus, quod gallum DE LA MOTHE LE VATER, qui librum integrum *de incertitudine historiae* edidit, qui, ante hos uiginti annos, Halae magdeburgicae, in forma octaua, germanice redditus, prodiit, ex instituto refutauerit elegantissima oratione, quam *inauguralem* uulgo uocant. Laude etiam dignissimi sunt, illustris STRVVIUS, doctissimus BIERLINGIVS et ARPEVS, qui *de pyrrhonismo sive scepticismo historicō*, scriptis academicis, alia plane, id est, solidiori atque elegantiori ratione egerunt. Et licet, ut est apud VOPIS CVM in Aurelio, nemo sit historicorum, qui non aliquid sit mentitus: hoc tamen *aliquid* non potest esse AGRIPPAE *perpetuum et universale mendacium.*

§. X.

Negat etiam AGRIPPA, historicos esse ueri studiosos, propter ea, quod delectationis causa scriberent: quasi uero historia rerum utilissimarum atque notatu dignissimarum nullam secum ferret iucunditatem; atque uoluptas, quae capitur ex ipsa, illicita atque iniusta foret. Neque enim nesciunt, historiae cultores pariter atque aestimatores, quisnam proprius utilissimi studii sit finis: quo fit, ut probent omnia, bonum retineant, et scyllam credulitatis, charybdim uero scepticismi prouide deuitantes gratissimae petant ueritatis portum.

Nihil tale metuendum est in *uitae delineationibus*, quae ex *ipfius auctoris* scriptis, summo studio, nec minori fructu conquiruntur: quoniam confitens reus nullam profecto disensionem pariet, uitiorum autem ineuntis adolescentiae integer index mendacii reus esse nullo modo potest.

Quo

X 338 120

8 DE VANITATE HISTOR. IVDICE AGRIPPA COMMENT.

Quo magis laudo in aliam SALANAM bono cum DEO abiturientem auditorem bonae frugi, studiisque ac doctrinis deditissimum,

IOANNEM IACOBVM SCHILLINGIVM, numburgensem; quum conatus sit facere periculum, quid hac in re praestare poscit. In oratione enim latina eleganti stilo conscripta,

VITAM AVGUSTINI EX IPSIS EIVS LIBRIS XIII.
CONFESSIONVM

non sine labore erutam sister, ad exemplum cum aliorum, tum in primis FRANC. FABRICII et IO. SCHEFFERI, quorum ille CICERONIS, hic PHAEDRI uitam ex scriptis auctoris feliciter haustum reliquerunt. Studuit demigraturus, per totum uitiae scholasticae tempus, probitati, morum honestati atque litteris omnibus, quibus iuuenilis aetas solet impertiri: fecitque eius generis progressus in iisdem, ut cum laude ac fructu in academiam se conferre poscit. Non itaque est indignus liberalissimo MAECENATVM beneficio, nostra que commendatione; quum praesertim grati animi uirtutem reliquis adiungere studuerit, carmine germanico non profecto insani coloris.

Addet commilito ipso per satis longum tempus multo omnium coniunctissimus, auditor bonae notae nobisque suauissimus,

IO. WILHELM. STEINAVERVS, itidem numburgensis, poëeos germanicae impiger, nec infelix cultor, Carmen perelegans,

DE RETRACTATIONIBVS AVGUSTINI.

Neque intermitter, et suo, et omnium condiscipulorum nomine gratiam diuinam, cum quavis non minus animi, quam corporis salute in academiis pernecessaria ex animo ipsi adprecari.

Nos uero OMNES AG SINGVLOS, qui iustum humanitatis studiis premium statuere norunt, illisque adhuc publico nomine bene cupuerunt, rogatos uolumus, ut de rebus perutilibus oraturis, CRAS sub horam II. pomeridianam, benignam audientiam concedant, atque hoc sibi persuadeant, non magis ME, quam oratores istos benevolentiam illam, etiam apud alios, esse maiorem in modum predicaturos.

P.P. N V M B V R G I III. NONAS MAIAS

clo lccc xxxixii.

Farbkarte #13

B.I.G.

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|-------------|---|---|---|---|---|---|---|---|---|----|----|----|----|----|----|----|----|----|----|----|
| Inches | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |
| Centimetres | 1 | 2 | 3 | 4 | 5 | 6 | 7 | 8 | 9 | 10 | 11 | 12 | 13 | 14 | 15 | 16 | 17 | 18 | 19 | 20 |



DE
TE HISTORIAE
CE AGRIPPA
COMMENTATIO

QVA
DITORIS SVI
TVDIISQVE AC DOCTRINIS
EDITISSIMI
ACOBI SCHILLINGII
VMBVRGENSIS
M VALEDICTORIAM
CRAS
AM II. POMERIDIANAM
HABENDAM
VITATIONE PERHONORIFICA
INDICIT

IEL PEVCERV
LVSATVS
SENATOR. RECTOR

NVMBVRGI
S BOSSEGEELIANIS

o Iccc xxxiiii

BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA

